

MISSAE PROPRIAЕ  
IN FESTIS SS. PATRONORUM

AD USUM

FRATRUM MINORUM

PROVINCIAE S. JOANNIS A CAPISTRANO

IN HUNGARIA



TYPIS KAPISZTRÁN-NYOMDA, VÁC.  
MCMXXXVI.

No. 786/1936.

Diligenti revisione peracta, omnia Originalibus conformia reperta sunt.

In quorum fidem:

Budapestini, die 30. Octobris, 1936.

(L. † S.)

**Fr. P. Hermenegildus Hermann O. F. M.**  
Minister Provinciae Capistranae

**Fr. P. Fortunatus Martinov O. F. M.**  
Calendarista Provinciae.

---

Nihil obstat.

**P. Hugo Riba O. F. M.**  
censor dioecesanus.

Nr. 5377/1936.

Imprimatur.

Vacii, die 9-a Novembris, 1936.

(L. † S.)

**† Stephanus**  
Episcopus.

# MISSAE PROPRIAЕ

## PROVINCIAE S. JOANNIS A CAPISTRANO IN HUNGARIA.

Die 23. Aprilis.

S. Adalberti Episc., Mart.

Introitus. Ps. 63.

**P**rotexisti me, Deus, a convtu ma-  
lignántium, allelúja: a multitú-  
dine operántium iniquitátem, al-  
lelúja, allelúja. Ps. ibid. Exaú-  
di, Deus, orationem meam cum dépre-  
cor: a timóre inimíci éripe ánimam me-  
am.

℣ Glória Patri.

Oratio.

**O**mnipotens sempitérne Deus, qui ho-  
diérna die beátum Adalbértum,  
Mártyrem tuum atque Pontíficem, mérito  
passiónis Sanctis tuis sociáre dignátus  
es: tríbue quaesumus; ut per eius exé-  
mpla ad pátriam perveniámus aetérnam.  
Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio B. Aegidii Conf.,  
deinde S. Georgii Mart., ut in Missali  
hac die.

Léctio Epístolae beáti Jacóbi Apostoli.

Jac. 1.

**C**aríssimi: Omne gaúdium existimáte,  
cum in tentatiónes várias incidéri-  
tis: sciéntes, quod probátio fídei vestrae  
patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus  
perféctum habet: ut sitis perfécti, et ín-  
tegri, in nullo deficiéntes. Si quis autem  
vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo,  
qui dat ómnibus affluénter, et non im-

properat: et dábitur ei. Póstulet autem  
in fide nihil haesitans: qui enim haesi-  
tat, símilis est flúctui maris, qui a vento  
movétur, et circumféruntur. Non ergo aesti-  
met homo ille, quod accípiat áliquid a  
Dómino. Vir duplex ánimo, incónstans  
est in ómnibus viis suis. Gloriétur autem  
frater húmiliis in exaltatióne sua: dives  
autem in humilitáte sua, quóniam sicut  
flos foeni transíbit: exortus est enim sol  
cum ardóre, et arefécit foenum, et flos  
eius décidit, et decor vultus eius depé-  
riit; ita et dives in itinéribus suis mar-  
céscet. Beátus vir, qui suffert tentatióne:   
quóniam cum probátus fúerit, accípiet  
corónam vitae, quam repromísit Deus  
dilégéntibus se.

Allelúja, allelúja.

℣ Ps. 88. Confitebúntur coeli mirabilia  
tua, Dómine: étenim veritátem tuam in  
Ecclésia Sanctórum. Allelúja.

℣ Ps. 20. Posuísti, Dómine, super caput  
ejus corónam de lápide pretioso. Alle-  
lúja.

■ Sequéntia sancti Evangélii secúndum  
Joánnem. Joann. 15.

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discípulis  
suis: Ego sum vitis vera: et Pater  
meus agrícola est. Omnem pálmitem in  
me non feréntem fructum, tollet eum: et  
omnem, qui fert fructum, purgábit eum,  
ut fructum plus áfferat. Jam vos mundi  
estis propter sermóne, quem locútus

sum vobis. Manéte in me: et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vilius, vos pálmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis fácer. Si quis in me non mánserit, mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manseritis in me, et verba mea in vobis mánserint: quodcúmque volueritis, petetis, et fiet vobis.

**Offertorium Ps. 88, 6** Confitebúntur caeli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúja, allelúja.

#### Secreta

**H**óstias tibi, Dómine, beáti Adalbérti, Mártyris tui atque Pontíficis, dicátas méritis, benignus assúme: et ad perpetuum nobis tribue provenire subsídium. Per Dóminum nostrum.

**Et fit Commemoratio B. Aegidii Conf. et S. Georgii Mart.**

**Communio Ps. 63, 11** Laetábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde. allelúja, allelúja.

#### Postcommunio

**B**éáti Adalbérti, Mártyris tui atque Pontíficis, intercessióne, Dómine, placátus: praesta, quaesumus; ut quae temporáli celebrámus actiōne, perpétua salvióne capiámus. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio B. Aegidii Conf. et S. Georgii Mart.**

**In Missis votivis extra Tempus Paschale sumatur Missa Sacerdótes Dei, praeter proprias Orationes et Epistolam, ut supra.**

Die 4 Maii

#### S. Floriani Martyris

**Missa Protexísti, de Communi Mm. Temp. Paschali, praeter Orationes sequentes:**

#### Oratio

**D**eus, qui nos beáti Floriáni Mártyris tui solemnitáte laetificas: concéde propítius; ut cujus gloriósum triúmphum

venerámur in terris, societatis ejus laetitiam adipisci mereámur in caelis. Per Dóminum nostrum.

**Et fit Commemoratio S. Monicæ Viduae, ut in Missali hac die.**

#### Secreta

**H**anc oblationis hóstiam, quaesumus, omnípotens Deus, beáti Floriáni Mártyris tui, digna comméndet orátio, qui sancto caritatis tuae devictus amore, prípriam sui cörperis hóstiam in odorem suavitatis tibi obtulit vivam. Per Dóminum nostrum.

**Et fit Commemoratio S. Monicæ Vid.**

#### Postcommunio

**S**ancta nos, quaesumus, Dómine, sacraménti coeléstis participátio et ab hóstium cálido tueártur incúrsu, et sancto Floriáno intercedénte, nobis remédia salútis cónferat sempitérna. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio S. Monicæ Vid.**

Die 16. Maji.

#### S. Joannis Nepomuceni Martyris.

Pro Dioec. Rosnaviensi.

**D**edit mihi Dominus linguam mercédem meam: et in ipsa laudábo eum.  
**Psal. 38.** Dixi: Custódiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.

**V** Gloria Patri.

#### Oratio.

**D**eus qui ob invictum beáti Joánnis sacramentale siléntium, nova Ecclésiam tuam martyrii coróna decorásti: da ut ejus exémplo et intercessióne, ori nostro custódiam ponéntes; Beátis, qui lingua non sunt lapsi, annumerémur. Per Dominum.

**Et non fit Commer. S. Ubaldi Episc., Conf.**

**L**éctio libri Sapientiae. **Eccli. 21.26.**  
**S**tultus a fenéstra respíciet in domum: vir autem eruditus foris stabit. Stultitia hominis ausculáre per óstium: et prudens gravábitur contumélia. Labia

imprudéntium stulta narrábunt: verba autem prudéntium statéra ponderabún-  
tur. In ore fatuórum cor illórum: et in  
corde sapiéntium os illórum. Dum male-  
dícit ímpius diábolum, maledícit ipse  
ánimam suam. Susúrro coinquinabit  
animam suam, et in ómnibus odiétur: et  
qui cum eo manserit, odiósus erit: tác-  
tus et sensátus honorábitur.

**Temp. Pasch.** Allelúa, allelúa.

¶ **Eccli. 25.** Beátus, qui lingua sua non  
est lapsus, et qui non servívit indígnis  
se. Allelúa.

¶ **Prov. 10.** Lingua pravórum períbit:  
lingua autem sapientium est sánitas. Al-  
lelúa.

**Extra tempus Paschale.**

**Graduale. Prov. 11.** Qui ámbulat frau-  
dulénter, revélat arcána: qui autem fidelis  
est ánimi, celat.

¶ **Psalm. 14.** Dómine, quis habitábit in  
tabernaculo tuo, aut quis requiéscet in  
monte sancto tuo? Qui non egit dolum  
in lingua sua: nec fecit próximo suo  
malum.

Allelúa, allelúa. ¶ **Eccli. 25.** Beátus,  
qui lingua sua non est lapsus, et qui  
non servívit indígnis se. Allelúa.

**In Missis votivis post Septuages., omis-  
sis Allelúa et ¶ seq. dicitur:**

**Tract. Jac. 1.** Si quis putat, se religió-  
sum esse, non refraenens linguam suam,  
sed sedúcens cor suum: hujus vana est  
religio. ¶ **ibid.** Si quis in verbo non of-  
fendit, hic perféctus est vir. ¶ **ib.** Omnes  
enim natúra bestiárum domántur, et dó-  
mita sunt a natura humana: linguam  
autem nullus hóminum domáre potest.

¶ **Sequéntia sancti Evangélii secúndum  
Matthaeum.** Matth. 11. 2.

**I**n illo témpore: Cum audísset Joánnes  
in vínculis ópera Christi, mittens du-  
os ex discípulis suis, ait illis: Tu es qui  
ventúrus es, an álum expectámus? Et  
respónsens Jesus, ait illis: Euntes renun-  
tiáte Joánni quae audístis et vidístis.  
Caeci vídent, claudi ámbulant, leprósi  
mundántur, surdi áudiunt, mórtui resúrg-  
unt, páuperes evangelizántur: et beátus

est, qui non fúerit scandalizátus in me.  
Illi autem abeúntibus, coepit Jesus dí-  
cere ad turbas de Joánni: Quid exístis  
in desértum vidére? arúndinem vento  
agitátam? Sed quid exístis vidére? hó-  
minem móllibus vestítum? Ecce qui móll-  
ibus vestiúntur, in dómibus regum sunt.  
Sed quid exístis vidére? Prophétam?  
Etiam dico vobis, et plus quam Prophé-  
tam. Hic est enim de quo scriptum est:  
Ecce ego mitto Angelum meum ante fá-  
ciem tuam, qui praeparábit viam tuam  
ante te.

**Offertor. Eccli. 42.** Non dúplices sermó-  
nem de revelatione sermónis absconditi,  
et eris vere sine confusióne: et invénies  
grátiam in conspéctu ómnium hóminum.

**Secreta.**

**H**aec tua, Dómine, sacra mystéria  
illum in nobis, quaesumus, ignem  
accéndant, quo ínclytus Martyr et Sacér-  
dos tuus Joánnes, ea peragéndo, flagrá-  
bat. Per Dóminum.

**Communio. Isaiae 6.** Volávit ad me unus  
de Séraphim: et in manu ejus cálculus,  
quem túlerat de altári, et tétigit os meum.

**Postcommunio.**

**F**ragilitátem nostram, Dómine, coelés-  
tis haec mensa fortium pane con-  
firmet: qui beáti Mártyris et Sacerdótis  
tui Joánnis tentátam contra honórem  
Sacraménti constántiam, júgiter áluit ad  
victóriam. Per Dóminum.

Die 27. Junii.

**S. Ladislai Regis Hungar., Conf.**



**Introitus. Ps. 36.**

**s** justi meditábitur sapiéntiam, et  
lingua ejus loquéatur judícum.  
lex Dei ejus in corde ipsíus.  
**Ps. ib.** Noli aemulári in malí-  
gnántibus: neque zeláveris fa-  
cientes iniquitátem. ¶ **Glória Patri.**

**Oratio.**

**D**eus, qui beátum Regem Ladisláum,  
Confessórem tuum, divérsis deco-  
rásti miráculis: praesta quaesumus; ut  
ejus suffragántibus méritis, ab ómnibus  
semper muniámur advérsis, et gaúdiis  
perfruámur aetérnis. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio B. Benvenuti Conf.; deinde Octavae S. Joannis, ut in Missali.**

**Léctio libri Sapiéntiae. Sap. 10. b.**  
**J**ustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Haec vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi scep-trum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant: et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum, et dedit illi claritatétem aetérnam, Dóminus Deus noster.

**Graduale. Ps. 91.** Justus ut palma florébit, sicut cedrus Libani multiplicábitur in domo Dómini. **¶** Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja.

**¶ Jac. 1.** Beátus vir, qui suffert tentationem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitae. Allelúja.

**In missis votivis post Septuagesimam; omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:**

**Tractus. Ps. 111.** Béatus vir, qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis. **¶** Potens in terra erit semen ejus: generatio rectórum benedicétur. **¶** Glória, et divítiae in domo ejus: et justitia ejus manet in saeculum saeculi.

**Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:**

Allelúja, allelúja.

**¶ Jac. 1.** Beátus vir, qui suffert tentationem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitae. Allelúja. **¶ Eccli. 45.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum. Allelúja.

**Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.**

**Luc. 12. c.**

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri praecíncti, et lucernae ardéntes in máníbus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis: ut cum vénerit, et pulsáverit, conféstim apérian te ei. Beáti servi illi, quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilantes: amen dico vobis, quod prae-cínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigilia, et si in tértia vigilia ve-nerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scítote, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur venret, vigi-láret útique, et non sineret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti, quia qua hora non putális, Filius hóminis vénet.

**Offertorium. Ps. 88, 25.** Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nó-mine meo exaltábitur cornu ejus.

**Secreta.**

**H**óstias piae placatiónis offérimus cle-méntiae tuae, omnípotens Deus: quas beáti Regis Ladislái, Confessóris tui méritis et précibus, placátus accípias, et cleménter dispénses. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio B. Benvenuti Conf., deinde Octavae S. Joannis.**

**Communio. Matth. 24, 46-47.** Beátus servus, quem, cum vénerit Dóminus, in-vénerit vigilántem: amen, dico vobis, super ómnia bona sua constituet eum.

**Postcommunio.**

**S**acraménta, Dómine, salutária sumén-tes, cleméntiam tuam humíliter ex-orámus: ut intercessióne beáti Ladislái, Confessóris tui, et praeséntibus non de-stituámur subsídiis, et gáudiis perfruámur aetérnis. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio B. Benvenuti Conf., deinde Octavae S. Joannis,**

**Si hodie fuerit Sabbathum, fit Commemoratio de Vigilia anticipata Ss. Petri et Pauli Apostolorum, et de ea legitur Evangelium in fine, ut in Missali die 28 Junii 2 loco.**

Die 20 Augusti  
S. Stephani Regis, Confessoris,  
Patroni Regni Hungariae.

**Introitus.** Ps. 91, 13-14.

**J**ustus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini: in átriis domus Dei nostri. Ps. 36, 1. Noli aemulári in malignántibus: neque zeláveis faciéntes iniquitátem. **V.** Glória Patri.

**Oratio**

**C**oncéde, quaesumus, Ecclésiae tuae, omnípotens Deus: ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in caelis. Per Dóminum.

**Et in Missis privatis tantum, fit Com- memoratio S. Bernardi Abbat. et Eccl. Doct.**

**Oratio.**

**D**eus, qui pópulo tuo aetérnae salútis beátum Bernárdum minístrum tribuísti: praesta, quaesumus; ut, quem Doctórem vitae habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in caelis. Per Dóminum nostrum.

**Léctio libri Sapiéntiae.**

**Eccli. 31, 8-11.**

**B**éatus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória aetérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilítas sunt bona illius in Dómino, et eleemosynas illius enarrábit omnis Ecclésia Sanctórum.

**Graduale.** Ps. 36. Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judíciū. **V.** Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabúntur gressus ejus.

**Allelúja, allelúja.**

**V.** Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja.

In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:

**Tractus.** Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. **V.** Potens in terra erit semen ejus: generatio rectórum benedicétur. **V.** Glória, et divítiae in domo ejus: et justitia ejus manet in saeculum saeculi.

**Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:**

**Allelúja, allelúja.**

**V.** ibid. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja.

**V.** Osee 14. Justus germinábit sicut lílum: et florébit in aetérnum ante Dóminum. Allelúja.

**Sequentia sancti Evangélii secúndum Luc. 19. b.**

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in régionem longinquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámin dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatióne post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnare super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem pri-  
mus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: límui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas, quod ego homo austérus sum, toliens quod non pósui, et metens, quod non seminávi: et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique

exegísssem illam? Et astántibus dixit: Auférte ab illo mnám, et date illi, qui decem mnás habet. Et dixérunt ei: Dómine, habet decem mnás. Dico autem vobis: Quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferétur ab eo. **Credo.**

**Offertorium. Ps. 20.** In virtúte tua, Dómine, laetábitur justus, et super salutáre tuum exsultábit vehémenter: desidérium ánimae ejus tribuísti ei.

### Secreta.

**S**acrificium, Dómine, quod tuae offérimus majestáti, benígnō vultu réspice: et intercessióne beáti Regis Stéphani Confessóris tui, nos ab ómnium inimicórum insídiis defénde, et vitae aetérnae praemia concéde. Per Dóminum.

**F**ro S. Bernardo.

### Secreta.

**S**ancti tui Bernárdi nobis, Dómine, pia non desit orátio: quae et múnera nostra conciliet; et tuam nobis indulgén-tiam semper obtíneat. Per Dóminum.

**Praefatio de B. M. V.** Et te in Assumptióne.

**Communio. Matth. 24.** Beátus servus, quem, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constitúet eum.

### Postcommunio.

**T**uére, quaesumus Dómine, famíliam tuam: et quam per doctrínam beáti Regis Stéphani Confessóris tui, de ténebris ad veram lucem convertísti, eam post hujus témporis decúrsum, percépi sacrificii munímine, cleménter perdúcás ad regna coelórum. Per Dóminum.

**Pro S. Bernardo.**

### Postcommunio.

**U**t nobis, Dómine, tua sacrificia dent salútem: beátus Bernárdus Confés-sor tuus et Doctor egrégius, quáesumus, precátor accédat. Per Dóminum.

Die 26. Septembris.

**S. Gerardi Episc., Mart.**



**Introitus.**

**Eccli. 45.**

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis: et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in aetérnum. **Ps. 131.** Meménto, Dómine, David, et omnis mansuetúdinis ejus. **V.** Glória Patri.

### Oratio.

**D**eus, qui beátum Gerárdum Pontíficem agóne martyrii et stola immortalitátis coronásti: concéde propítius; ut cujus memóriam devótis méntibus celebrámus in terris, ejus perpétua defensióne muniámur in coelis. Per Dóminum.

**Et, in Missis privatis tantum, fit Com-memoratio S. Pacífici Conf.; deinde B. M. V. de Mercede, ut in Missali hac die.**

Léctio Epístolae beáti Jacóbi Apóstoli.

**Jac. 1. b.**

**C**aríssimi: Beátus vir, qui suffert tentatiónen: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitae, quam repromísit Deus diligéntibus se. Nemo cum tentátur, dicat, quóniam a Deo tentátur: Deus enim intentátor malórum est: ipse autem néminem tentat. Unusquísque vero tentátur a concupiscéntia sua abstráctus, et illéctus. Deínde concupiscéntia cum concéperit, parit peccátum: peccátum vero cum consummátum fúerit, génerat mortem. Nolite itaque erráre, frátres mei dilectíssimi. Omne datum óptimum, et omne donum perféctum desúrsum est, descéndens a Patre lúminum, apud quem non est transmutátió, nec vicissitúdinis obumbrátió. Voluntárie enim génuit nos verbo veritátis, ut simus inítiu-um áliquod creatúrae ejus.

**Graduale. Ps. 88.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchi-um meum confortábit eum. **V.** Nihil profíciat inimícus in eo: et filius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúja, allelúja.

**V. Ps. 109.** Tu es sacérdos in aetérnum,

secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur :

**Tractus. Ps. 20.** Desidérium ánimae ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ¶ Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédi-nis. ¶ Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretiósso.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Mattháeum. **Matth. 19. d.**

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me venire, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim voluerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucréatur, ánimae vero suaे detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatióñem pro ánima sua? Filius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus. — **Credo.**

**Offertorium. Ps. 88.** Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómíne meo exaltábitur cornu ejus.

#### Secreta.

**O**bláta, Dómine, múnera sanctífica: et intercessióne beáti Gerárdi Mártyris tui atque Pontíficis, ab ómnibus nos défende periculis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Pacífi et B. M. V. de Mercede, ut supra.

**Praefatio B. M. V.** Et te in Festivitáte.

**Communio. Ibid.** Semel jurávi in Sancto meo: semen ejus in aetérnum manébit: et sedes ejus sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna perfécta in aetérnum, et testis in coelo fidélis.

#### Postcommunio.

**S**atiásti Dómine famíliam tuam preti- osíssimi Córporis et Sánguinis Filii tui libámíne: praesta quáesumus; ut in-

tercessióne beáti Gerárdi Mártyris tui atque Pontíficis, nobis profíciat ad salútem mentis et cóporis. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Pacífi et B. M. V. de Mercede, ut supra.

In Missis privatis legitur ultimum Evangelium de B. M. V. Loquénte Jesu.

In Missis votivis tempore Paschali sumatur Missa Protexísti, praeter Orationes proprias, ut supra.

Die 8. Octobris.

**B. M. V. sub titulo  
Magnae Hungarorum Dominae**



#### Introitus.

audeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes, sub honóre beátae Maríae Vírginis, Magnae nostrae Dóminaе ac Patrónae, de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et collaudant filium Dei. **Ps. 104, 1.** Confitémini Domino et invocáte nomen ejus; annuntiáte inter gentes ópera ejus. ¶ Glória Patri.

In Missis votivis sumatur Introitus ex Missis votivis B. M. V. de tempore conveniente.

#### Oratio.

**D**eus, qui intercessióne immaculátae Virginis Maríae, gentem nostram innúmeris cumulásti benefíciis: concéde propílius; ut quam, protorége beáto Stéphano auctóre, Magnam Dóminam celebrámus, et Patrónam venerámur in terris, perénni ejus consórtio laetémur in caelis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Birgittae Vidaue:

#### Oratio.

**D**ómine, Deus noster, qui beátae Birgíttae per Fílium tuum unigéni-tum sacréta caeléstia revelásti: ipsius pia intercessióne da nobis fámulis tuis; in revelatióne sempitérnae glóriae tuae gaudére laetántes. Per eúmdem Dóminum nostrum.

**L**écto libri Sapiéntiae.

**Eccli. 24, 23-31.**

**E**go quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. In me grátia omnis viae et veritatis: in me omnis spes vitae, et virtutis. Transíte ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generatióibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes saeculórum. Qui edunt me, adhuc esúrinent: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundéntur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcident me, vitam aetérnam habébunt.

**Graduale. Judith 13, 23.** Benedicta es tu, Virgo María, a Dómino Deo excélsō, prae ómnibus muliéribus super terram.  
**¶. ibid.** Tu glória Jerúsalem, tu laetitia Israel, tu honoríféntia pópuli nostri.

**Allelúja, allelúja.** **¶. Cant. 4, 7.** Tota pulchra es, María: et mácula originális non est in te. Allelúja.

**In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:**

**Tractus. Ps. 86, 1-2.** Fundaménta ejus in móntibus sanctis: díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.  
**¶. ibid., 3.** Gloriósa dicta sunt de te, cívitatis Dei. **¶. ibid., 5.** Homo natus est in ea, et ipse fundávit eam Altíssimus.

**Tempore Paschali:**

**Allelúja, allelúja.** **¶. Tu glória Jerúsalem, tu laetitia Israel, tu honoríféntia pópuli nostri.** Allelúja. **¶. Tota pulchra es, María: et mácula originális non est in te.** Allelúja.

**¶. Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.** **Luc. 1, 26-28.**  
**I**n illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galiláeae, cui nomen Názareth, ad Vírginem de-

sponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedicta tu in muliéribus. **Credo.**

**Offertorium. Luc. 1, 28.** Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: benedicta tu in muliéribus. **Allelúja.**

**Secreta.**

**M**ajestáti tuae, Dómine, Agnum immaculátum offeréntes, quáesumus; ut, intercedénte alma Vírgine immaculáta, et fidéles tui in avíta patrum fide firmén- tur, et oves quae periérunt, ad veritatis unitátem redeúntes, hoc salutári pábulo nutriántur. Per Dóminum.

**Pro S. Birgitta.**

**Secreta.**

**A**ccépta tibi sit, Dómine, sacrátae plenis oblatio pro tuórum honore sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum nostrum.

**Praefatio B. M. V.** Et te in Conceptione immaculáta.

**Communio. Eccli. 36, 6-10.** Innova si- gna et immútta mirabília. Glorifica ma- num tuam et bráchium déxterum. Festina tempus et meménto finis ut enárrent mi- rabília tua.

**Postcommunio.**

**A**djuvet pópulum tuum, quáesumus, Dómine, beatæ Maríae semper Vírginis immaculátae, Magnae nostrae Dómina ac Patrónae intercéssio vene- ránda: ut, quos perpétuis cumulávit be- nefícii, cunctis periculis expedítos, sua fáciat pietáte concórdes. Per Dóminum nostrum.

**Pro S. Birgitta**

**Postcommunio.**

**S**atiásti, Dómine, famíliam tuam mu- néribus sacris: ejus, quáesumus, semper interventiōne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 5. Novembris.

S. Emerici Ducis Hungar., Conf.



Introitus. Ps. 36, 30-31.

**S**s justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícum: lex Dei ejus in corde ipsíus. Ps. ibid., 1. Noli aemulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. V. Glória Patri.

Oratio.

**D**eus, qui beátum Emerícum, juve- níli flore niténtem, in sanctórum tuórum consórtium sublimásti: praesta, quáesumus; ut, quem tibi fecísti esse devótum, ejus apud te perpétuum sen- tiámus auxílium. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Sacrarum Reli- quiárum, ut in Missali hac die.

Léctio libri Sapiéntiae.

Sap. 4, 7-17.

**J**ustus, si morte praeoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senéctus enim ve- nerábilis est non diutúrna, neque annórum número computáta: cani autem sunt sensus hóminis, et aetas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est dí- léctus, et vivens inter peccatóres trans- látus est. Raptus est, ne malítia mutáret intelléctum ejus, aut ne fíctio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugaci- tátis obscurat bona, et inconstántia con- cupiscéntiae transvértil sensum sine ma- lítia. Consummátus in brevi explévit témpora multa, plácita enim erat Deo ánima illíus: propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum: pó- puli autem vidéntes, et non intelligéntes, nec ponéntes in praecórdiis tália: quóniam grátia Dei, et misericórdia est in sanctos ejus, et respéctus in eléctos illíus. Condémnat autem justus mórtuus vivos ímpios, et juvéntus celérius con- summáta longam vitam injústi. Vidébunt enim finem sapiéntis, et non intelli- ligent, quid cogitáverit de illo Deus, et quare muníerit illum Dóminus.

Graduale. Ps. 91, 13-14. Justus ut pal- ma florébit: sicut cedrus Líbani multipli-

cábitur in domo Dómini. V. Ad annun- tiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. V. Jac. 1, 12. Beátus vir, qui suffert tentationem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitae. Allelúja.

In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, di- citur:

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis. V. Potens in terra erit semen ejus: ge- nerátió rectórum benedicétur. V. Glória, et divítiae in domo ejus: et justitia ejus manet in sáeculum sáeculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

V. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tenta- tionem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitae. Allelúja. V. Eccli. 45. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12, 35-40.

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri praecíncti, et lucernae ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis: ut cum vénerit, et pulsáverit, conféstim apérianter ei. Beáti servi illi, quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilantes: amen dico vobis, quod prae- cínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigilia, et si in tértia vigilia ve- nerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scítote, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur veníret, vigi- láret úlique, et non sineret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti, quia qua hora non putátis, Filius hóminis vénet.

Credo ratione Octavae.

Offertorium. Ps. 88, 25. Véritas mea

et misericórdia mea cum ipso: et in nōmine meo exaltábitur cornu ejus.

*Secreta.*

**O**blatio, quam tibi offérimus, Dómine, nos purget ab omni crímine: quátenus per intercessiónem sancti Emeríci Confessóris tui, cujus sacram recólimus festivitátem, ad caeléstis pátriae adsu-mámur hereditátem. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Sacrarum Reliquiarum.

Communio. Matth. 24, 46-47. Beátus

servus, quem, cum vénerit Dóminus, in-vénerit vigilántem: amen, dico vobis, super ómnia bona sua constitúet eum.

*Postcommunio.*

**P**lebem tuam, Dómine, a cunctis adversitatibus prótege: ut, beáto Emeríco Confessóre tuo intercedénte, et praeséntis vitae devitémus pericula, et futúrae mereámur gáudia sempitérna. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Sacrarum Reliquiarum.

Laus Deo, et Mariae.